



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Theologiæ Speculativæ Scholasticis Prælectionibus Et Exercitiis Accommodatæ Libri IV

Haunold, Christoph

Ingolstadii, 1678

Angelico Nuncio Divinique Spiritus Afflatu Foecvndæ Virgini, Virgineo
Desponsatæ Viro, Dei Genitrici Mariæ, Academicæ Congregationis
Ingolstadiensis, Annum Secularem Agentis, Patronæ, Gratia Plenæ ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-82733](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-82733)

ANGELICO NUNCIO
DIVINIQUE SPIRITUS AFFLATU
FOECVNDÆ VIRGINI

VIRGINEO DESPONSATÆ VIRO,

DEI GENITRICI
M A R I Æ,

ACADEMICÆ CONGREGATIONIS
INGOLSTADIENSIS,

ANNUM SECULAREM AGENTIS,

PATRONÆ,

GRATIA PLENÆ,

EJUSDEMQUE

DEVOTISSIMIS FILIIS

PARTHENIIS DD. SODALIBUS.



DE Te, AUGUSTISSIMA VIRGO,
Theologia mea redit, ad Fontem scilicet, ex quo
emanavit, fluminum imitata morem, quæ Ma-
ri denuo suas inferunt aquas, unde illas hause-
runt. Quicquid Annorum Quinque spatio,
quibus Theologiæ operam dedi, Divinioris Sci-
entiæ animo comparavi, id omne à Te acceptum est, Virgo Sa-
pientissima. Tu namque Liber ille es Generationis JESU
CHRISTI, qui Sacra Theologiæ Dogmata cuncta comple-
ctens, caliganti Orbi Cœlestem lucem intulit, & arcana Divinita-
tis Mysteria, nunquam antè audita, nunquam cognita, quan-
tùm mortalibus fas est, videnda exhibuit, Deumque, doctis
(etiam

etiam Athenis olim ignotum, palam manifestavit. Par itaque fuit, ut ad Te gratus referrem rerum Divinarum Scientiam, quæ à sinu tuo in me derivata est, quantacunque est, major utique futura, nisi animus meus angustior fuisset, quam ut capere tantam posset, quantam Tu infundere parata eras. Est verò & alia causa, quæ me permovit, ut Majestati tuæ Theologicas hæc Controversias consecrarem. Oportebat in arenam descendere, nec eminus tantum calamo dimicare, sed & cominus linguâ & voce pugnare, doctrinamque præstantis paucos ante annos in hac Academia Doctoris, ab Adversario acerbè oppugnatam, vindicare. Hoc in articulo id mihi accidit, quod olim Celeberrimo Gentis Hebrææ Duci Gedeoni, qui cum Divino imperio arma capessere, & injurias ab hostibus Genti suæ illatas ulcisci jussus esset, timuit scilicet periculosam tentare aleam, hostium ferocitate ac multitudine territus, suorum verò paucitati diffusus: donec prodigiosum Vellus, multo rore tinctum, arente circumquaque vicinâ terrâ, faustum Victoriæ Omen, nec dubiam Triumphi spem fecit. Sic trepidanti hæctenus Duci additus est animus, ut alacris in hostem iret, pugnaret, vinceret. Verebar & ego, virium mearum probè conscius, certamen suscipere, donec oculos & mentem ad Te, MATER OPTIMA MAXIMA, converti, Tuque, velut Gedeonæi Velleris conspectu animatus fui, Velleris inquam, quod Divinum illum Rorem excepit, quem ut aliquando arefcenti humano Generi depluerent desuper rorantes Cœli, tot votis & gemitibus suspirârunt Sancti Progenitores Tui. Huic Rori tuo sacerrimo sine, O Virgo! consociari Rorem istum, qui Libelli hujus Concham implevit, & ex Divi Aquinatis calamo defluxit, quem ipsa imbuiisti pretiosis Sacræ Scientiæ fluentis. Desino piures longius commemorare causas, hanc Tibi opellam meam Dedicandi: quas omnes compendio complectar, si dicam, Matrem meam, Patronam meam, Dominam meam Te esse, cui me solenni Sacramento jam sæpius obstrinxi; quod planè sacrilegè violatum à me existimarem, nisi Omnia mea Gloriosissimo Nomini Tuo consecrarem.

Vos verò, MARIANI DD. SODALES, nequaquam ita præterire oportuit, ut, dum communem Dominam veneratus sum, Vestri Nominis non etiam meminisssem, & Vobis quoque Libellum hunc dicarem: quod ita præsto, ut nullam ejus partem

partem AUGUSTISSIMÆ VIRGINI auferam. Si enim
Filij eius Vos estis; Matri non decedit, quod Vobis accrescit:
si Mancipia; Dominæ non eripitur, sed in Jus eius transit, quid-
quid vobis donatur. Accipite ergo, quâ soletis humanitate, Mu-
nusculum, quod Vobis offero, Tenue quidem illud, sed multis
nominibus debitum: maximè verò ob Vestram erga me Benevo-
lentiam, quam, nisi Charitati potiùs vestræ, quàm dignitati meæ
commensurare eam libuisset, planè nimiam dicerem, & immo-
dicam, qua me Cœtus vestri, Salutatæ ab Angelo Virginis obse-
quiiis devoti, ignobile ac inutile membrum, non modò tolerastis,
sed eidem etiam Præfecistis: quum utique non meritorum meo-
rum, quæ nulla sunt, sed unius Benevolentia vestræ prorsus sin-
gularis, qua me dignamini, haberetis rationem. Pro quo tam
eximio Favore & Honore, ut argumentum aliquod grati ac memo-
ris animi ederem, has placuit Controversias auspiciatissimo Nomi-
ni Vestro inscribere, simulque Mariano Cœtui universo gratulari
evolutum Cursum PRIMI SECULI, in Regia Servitute Au-
gustissimæ Virginis felicissimè exacti: ex qua tam diuturna in
Magnæ Matris obsequiis constantia, Sodalitatem istam sanctissi-
mam, etiam post hac, per plura succedentia Secula, ad Dei Dei-
paræque gloriam, & magnum pietatis Incrementum, in Mariano
cultu semper perseveraturam, non vana conjectura auguror, &
voveo. Ingolstadij. Anno M. DC. LXXVII.

DOMINANTIUM DOMINÆ
ILLIQVE
SERVIENTIUM FILIORUM

Infimus Servus

PAULUS MAYR
Sacerdos.